

T23

Ab urbe condita XXII, 52
La resa dei Romani

52 (1) Spoliis ad multum diei lectis, Hannibal ad minora ducit castra oppugnanda et omnium primum brachio obiecto <a> flumine eos excludit; **(2)** ceterum omnibus labore, vigiliis, vulneribus etiam fessis maturior ipsius spe deditio est facta. **(3)** Pacti ut arma atque equos traderent, in capita Romana trecenis nummis quadrigatis, in socios ducenis, in servos centenis et ut eo pretio persoluto cum singulis abirent vestimentis, in castra hostes acceperunt traditique in custodiam omnes sunt, seorsum cives sociique. **(4)** Dum ibi tempus teritur, interea cum ex maioribus castris, quibus satis virium aut animi fuit, ad quattuor milia hominum et ducenti equites, alii agmine, alii palati passim per agros, quod haud minus tutum erat, Canusium perfugissent, castra ipsa ab sauciis timidisque eadem condicione qua altera tradita hosti. **(5)** Praeda ingens parta est, et praeter equos virosque et si quid argenti (quod plurimum in phaleris equorum erat; nam ad vescendum facto per exiguo, utique militantes, utebantur) omnis cetera praeda diripienda data est. **(6)** Tum sepeliendi causa conferri in unum corpora suorum iussit; ad octo milia fuisse dicuntur fortissimorum virorum. Consulem quoque Romanum conquisitum sepultumque quidam auctores sunt.
(7) Eos qui Canusium perfugerant mulier Apula nomine Busa, genere clara ac divitiis, moenibus tantum tectisque a Canusinis acceptos, frumento, veste, viatico etiam iuvit, pro qua ei munificentia postea bello perfecto ab senatu honores habiti sunt.